UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani, Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis, Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non Problematicae Disquisitiones ... Tomus ...

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lugduni, 1652-1663

Sectio Prima. De Iubilæo receptiores sine lite sententiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-80513

Visual Library

R. P. ANTONII
DE ESCOBAR
ET MENDOZA,
VALLISOLETANI,
Societatis Iesv,

VNIVERSÆ THEOLOGIÆ
MORALIS RECEPTIORES ABSQVE LITE
ſententiæ, necnon problematicæ Diſceptationes.

LIBER XIX.
IVBILÆVM.

Qvi volumine primo pluries de Iubilæo Problemata expoſui, cùm de Bulla Cruciatæ Sermonem geſſi: quique non pauca circa eandem materiam cùm de Indulgentiis ſcriberem, prælibaui: leui calamo hanc tractationem præſtringere operæpretium duxi, nè rememorare cogar, quæ iam ſemel fuerint indicata.

SECTIO PRIMA.

De Iubilæo receptiores ſine pugna ſententiæ.

CAPVT I.

De natura, ac origine Iubilæi.

1 *Iubilæi nomen & origo.* NOMEN *Iubilæum* Hebræis ſignificauit quinquageſimum remiſſionis annum. *Num. vltim. Leuit.* 25. & 27. Illo enim anno, exules in patriam, ac in priſtinam libertatem recurrebant, prædia diuendita ad antiquos poſſeſſores reuertebantur, relaxabantur delicta, ſerui donabantur libertate. *Leuit.* 15. Hinc vox, *Iubilæi,* ſeu *Iobilæi* ad tempus gratiæ, ſignificandum tranſtulit Iſaias *cap.* 6. Cæterùm deriuata eſt, ad ſignificandam remiſſionem, quæ primum anno centeſimo, poſtmodum quinquageſimo, tandem vigeſimo quinto conceſſa eſt Romæ inuiſentibus Apoſtolorum Petri, & Pauli limina:

ESCOBAR Theol. Mor. Tom. III. IV. E. [illegible]

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

& ex hac ſignificatione cunctis aliis plenariis remiſſionibus *Iubilæi* vox accommodatur.

Antiquiſſimus eius vſus.

2 A tempore Apoſtolorum Petri, & Pauli vſus Iubilæi incepit, adeò antiquus eius vſus reputatur. Henriq. *de Indulg. c.* 15. *n.* 6. Nauar. *notab.* 26. *num.* 1.

Incertum eſt, quinam Pontifex primum ſcriptis Iubilæum expedierit.

3 Incertum autem eſt, quinam fuerit primus Pontifex, qui in ſcriptis Iubilæum conceſſerit. Quia Bonifacius VIII. qui anno 1294. floruit, Iubilæum centeſimum renouauit, vt colligitur ex *Extrauag. Antiquorum, de pœnitentiâ, & remiſſione*, vt tradit Nauar. *notab.* 7. *n.* 4. Caiet. *tract.* 15. *cap.* 1. Henriq. *lib.* 7. *cap.* 4. *lit. H.* Ideóque ante Bonifacium iam conceſſum fuerat. Imò & ſcriptis mandatum. Quia Alexander III. qui anno 1162. fere centum viginti annos ante Bonifacium floruit, Bullam expediuit, in qua Compoſtellanæ Eccleſiæ Iubilæum, inſtar Romani, concedit, refértque, Calixtum ſecundum, Eugenium, & Anaſtaſium Pontifices idem conceſſiſſe. Teſtis oculatus affirmo.

Differentia inter Iubilæũ & Indulgentiam.

4 Porrò inter Iubilæum, & Indulgentiam eam differentiam aſſigno, quòd Iubilæum vltra plenariam Indulgentiam, aliquas continet facultates, tùm abſoluendi à reſeruatis, tùm diſpenſandi vota, relaxandíque iuramenta, & ſimilia. Suar. *d.* 50. *ſect.* 4. *numer.* 2. Nauar. *notab.* 8. & 10. Cordu. *quæſt.* 11.

Cautè procedendum in publicatione Indulgentiarum.

5 Hinc monuerim, publicantes Indulgentias cautè procedere debere, ne ſub Iubilæi nomine Indulgentiam plenariam euulgent. Anſam enim fortaſsè fidelibus exhiberent credendi verum Iubilæum cum facultate abſoluendi à reſeruatis eſſe conceſſum: Suar. *d.* 50. *ſect.* 4. *num.* 8.

CAPVT II.

De Iubilæo Romano.

Qualiter Romanũ Iubileũ ſit conceſſum.

6 BONIFACIVS VIII. centeſimo quoque anno Romanum Iubilæum obtineri poſſe conceſſit in Extrau. *Antiquorum, de pœnit. & remiſ.* At Clemens VI. in Extrau. *Vnigenitus, eodem titulo*, ad quinquagenarium reduxit. Quam formam Vrbanus VI. Martinus V. & Nicolaus V. approbarunt. Poſtmodum Paulus II. quem imitatus eſt Sixtus IV. in Extrau. *Quemadmodum, de pœnit. & remiſſ.* annum vigeſimum quintum reduxit, ſicque reliqui Pontifices confirmauerunt præcipuè Gregorius Decimustertius *in ſua Conſt. quæ incipit Dominus, ac Redemptor noſter.* Congruentias, verò eiuſmodi reductionum in præfatis Extrauagantibus annotabis. Lege Nauarrum *notab.* 32. *& ſeq.* ad verbum referentem & expendentem Gregor. Conſtitutionem.

Huiuſce Iubilæi fauores.

7 Porrò Iubilæi huiuſce hi fauores recenſentur: Omnium peccatorum pleniſſima Indulgentia, abſoluendi à reſeruatis, commutandi vota, ac componendi ſuper malè ablatis incertis illicitevè contractu acquiſitis facultas. Nam licèt expreſsè facultas huiuſmodi in præfatis Bullis non habeatur expreſsè: colligitur tamen ſatis ex ſuſpenſione, quæ habetur in Extrau. *Quemadmodum*, vbi ſuſpenduntur facultates commutandi vota, aut ſuper eis diſpenſandi: necnon ſuper iniquè ablatis componendi, aut ea quomodolibet remittendi: itémque deputandi confeſſores cum poteſtate abſoluendi à reſeruatis. Quæ quidem non ſuſpenderentur, niſi per Iubilæum eſſent conceſſæ, & illius conſecutioni obſtarent. Idque vſus Romanæ confirmat Eccleſiæ. Communis ſic.

Opus quod iniungitur, & alij Iubilæi huiuſce fauores.

8 Opus verò quod iniungitur vti neceſſaria ad conſequendum Iubilæum conditio, eſt viſitatio Baſilicæ Apoſtolorum per dies triginta, ſiue continuos ſiue interpolatos, ſi Romani, aut incolæ fuerint; ſi autem forenſes, ſeu peregrini per quindecim. Cauetur tamen in hiſce Bullis (& eſt fauoris ſpecialis,) non impediri ab huius Iubilæi conſecutione qui poſt iter inceptum impeditus fuerit Romam adire, vel in ea exiſtens Eccleſiam Apoſtolorum inuiſere. Demùm, ne fideles à tanta gratia conſequenda detineantur: omnes aliæ Indulgentiæ, & facultates, quæ conſequutionem huius Iubilæi retardare poſſunt, ſuſpenduntur. Cæterùm circa fauores hoc in Iubilæo conceſſos nihil adnotarim; nam ex Lib. præcedenti conſtat, quemadmodum Indulgentia pleniſſima omnium peccatorum contineat remiſſionem. At qualiter poteſtas commutandi vota, aut ſuper eis diſpenſandi, componendi malè ablata, abſoluendi à reſeruatis, intelligatur, ex Romanæ Curiæ vſu petendum.

De iniuncto opere ex Gregorij præſcripto.

9 Opus itaque iniunctum vberius expendo, Romani ſeu incolæ Baſilicas Apoſtolorum Petri & Pauli, & Sancti Ioannis Lateranenſis, & Sanctæ MARIÆ Maioris Eccleſias ſemel in die per triginta dies continuos, vel interpolatos deuotè, & reuerenter viſitant, ac pro ipſorum, totiúſque populi Chriſtiani ſalute pias ad Deum preces profundunt. Præcum formam Pontifex non deſcribit, ideóque cuiuſvis voluntati, ac deuotioni remittitur. At forenſes ac peregrini quindecim viſitationibus ſolummodò allegantur. Sic Gregorius Decimustertius in ſua Bulla expreſſit. Vnde conſtat, amplius ab eo requiſitum, quàm à Bonifacio Octauo, Clemente Septimo, ac Sixto Quarto fuerat. Ab illis enim ſolummodo viſitatio Baſilicæ Apoſtolorum præſcripta erat: ab hoc autem viſitatio Eccleſiarum Sanctæ MARIÆ, ac Sancti Ioannis adiicitur: & inſuper vt in ſingulis piæ preces ad Dominum profundantur ad minus ſemel in die.

Debent quotidie Eccleſiæ illæ viſitari.

10 Nam ſatisfacit huic obligationi, qui vnam ex præfatis Eccleſiis aliquo die inuiſendam omittit. Si die ſequenti eam bis inuiſat? Minimè; quia expreſſa Bullæ conditio eſt quotidiana illa Eccleſiarum viſitatio. Nauar. *notab.* 32. *n.* 41.

Quinam nomine Romanorum intelligendi?

11 Quinam *Romanorum* nomine intelliguntur? Non quidem qui domicilium propriè Romæ obtinent; ſed illi qui ad longum tempus, nempè per annum, Romæ commorantur, eſto animum non habeant, inibi perpetuò manendi, imò potius voluntatem recedendi gerant. Nauar. *notab.* 32. *n.* 46.

Quinam Forenſium appellatione?

12 Quinam verò *Forenſium* appellatione deſignantur? Forenſes ſeu peregrini, qui licèt à Româ originarij ſint, ibi tamen ad breue tempus habitant, ſunt vocitandi. Quia exigua illa apud Vrbem commoratio non eſt ſufficiens, vt quis Romanus dici poſſit, prudentis arbitrio.

13 Romani, igitur verè pœnitentes & confeſſi per triginta continuos dies, ſiue interpolatos viſitantes præfatas quatuor Eccleſias ſemel in die: & aduenæ ſeu peregrini per quindecim, pleniſſimam conſequuntur indulgentiam. Quid ſi iterum, & iterum hoc opus iniunctum repetatur? Toties ſanè eandem indulgentiam illi conſequentur. Nauar. *notab.32. num.46.* Et ex Bullis euidenter conſtat.

Quidnam ſit ... ad Iubilæi Iubilæi conſecutionem?

14 Verùm non quælibet Indulgentiæ, ſed ſolùm plenariæ, (etiam ad inſtar Iubilæi conceſſæ à ſede Apoſtolicâ, vel illius authoritate) ſuſpenduntur. Conſtat ex Extrauag. *Quemadmodum*, & ex Bulla Gregorij Decimitertij quæ incipit, *Quoniam ſancti Iubilæi*, quam ad verbum refert Nauar. *notab. 33.* Igitur omnes indulgentiæ plenariæ præter eas quæ Romæ obtinentur, ſuſpenduntur; omnes, inquam, Indulgentiæ plenariæ in fauorem viuorum conceſſæ. Quia hæ obſtare poſſunt Iubilæi conceſſioni. Secus verò plenariæ Indulgentiæ, quæ per modum ſuffragij poſſunt vita functis applicari. Quia harum conſecutio Iubilæi conſecutionem minimè retardat. Laym. *lib.5. tract.7. cap. vlt. in principio.*

Indulgentia plenaria ſuſpenditur huius Iubilæi virtute.

15 Attamen ab hac generali exceptione Compoſtellanum Iubilæum excipitur ex Breui quodam Sixti V. dato Romæ die 15. Aprilis anno 1589. qui in Eccleſia Compoſtellana habetur.

Non ſuſpenditur Indulgentia plenaria Compoſtellæ.

16 Suſpenduntur prætereà omnes facultates & indulta quæcunque, cauſa quærendæ indulgentiæ plenariæ conceſſa: qualia reputantur illa tantùm, *quorum* fit mentio in Extrauag. *Quemadmodum.* Scilicet facultas eligendi Confeſſarium cum poteſtate abſoluendi à reſeruatis, Cenſuris, & aliis pœnis, commutandi vota, vel in eis diſpenſandi, remittendi, ſeu componendi malè ablata. Quia hæc frequenter concedi aſſolent gratia Iubilæi conſequendi, & moraliter neceſſaria ſunt ad illius commodam conſecutionem. Caſtro Pal. *tom. 4. tractat. 24. p. 12. §. 1. numero 9.*

Suſpenduntur omnes facultates quæ ratione quærendi indulgentias conceduntur.

17 Vndè facultates eligendi Confeſſarium abſque illa facultate abſoluendi à reſeruatis non ſuſpenduntur. Neque item quæ cum illa qualitate habentur, modo non ſint à Pontifice, vel eius authoritate conceſſæ: ſed conceſſæ ſint Epiſcopis, aliiſque Prælatis authoritate Ordinaria vtentibus. Nec ſuſpenduntur facultates remittendi, vel componendi incerta, ſi malè ablata non ſint. Nec aliæ facultates, & indulta edendi oua ac lacticinia tempore Quadrageſimæ, celebrandi in Altari portatili extra Eccleſiam, vel tempore interdicti, & ſimilia. Nauar. *notab.28. per totum.*

Quænam aliæ facultates nō ſuſpendūtur?

CAPVT III.

De Compoſtellano Iubilæo.

18 ANNO milleſimo, centeſimo, ſeptuageſimo nono, ſeptimo Kalendas Iulij Alexander Tertius Pontifex maximus Bullam expediuit, quæ incipit, *Regis æterni*, in qua primùm refert, Calixtum Secundum ſuum prædeceſſorem conceſſiſſe omnibus Chriſti fidelib. & ſingulis ſexus vtriuſque verè pœnitentibus & confeſſis Eccleſiam S. Iacobi in Compoſtella inuiſentibus, in anno, quo feſtum Apoſtoli in Dominica acciderit, à Circunciſionis vigilia ac per integrum illum annum vſque ad diem eiuſdem Circunciſionis & per totum diem in fine illius anni, in diebus, quibus magis eis placuerit, viſitare: Vt omnes, & ſingulas peccatorum indulgentias, & remiſſiones etiam plenarias, quas viſitantes Eccleſias & Baſilicas Vrbis & extra Vrbem Romæ anno Iubilæi conſequebantur, cum facultate deputandi Confeſſores, qui ad dictam Eccleſiam pro conſequendâ indulgentiâ eiuſmodi confluentes etiam in caſibus Apoſtolicæ ſedi reſeruatis abſoluerent: ac etiam eiſdem Chriſti fidelibus in eiuſdem S. Iacobi, & Tranſlatione corporis ſui ac dedicationis eiuſdem Eccleſiæ feſtiuitatibus, Eccleſiam præfatam à primis Veſperis vſque ad ſecundas, & per totum diem incluſiuè deuotè viſitantibus annuatim, vt plenariam indulgentiam omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contriti, & ore confeſſi fuerint, conſequerentur perpetuis futuris temporibus duraturam conceſſiſſe.

Conceſſionis Compoſtellanæ Iubilæi forma.

19 Ipſe adiicit Alexander. *Nos igitur ad hoc prædeceſſorum noſtrorum S. mem. eiuſdem Calixti Papæ, ac Eugeny & Anaſtaſij veſtigiis inhærentes, ad gloriam omnipotentis Dei, totiúſque Religionis Chriſtianæ augmentum, qui ipſius glorioſum Apoſtolum ad eius Eccleſiam Compoſtellanam huiuſmodi deuotionis cauſa de diuerſis mundi partibus, dimiſſis parentibus, amicis, liberis, patriâ, ac aliis temporalibus bonis, per mare terrámque continuè confluunt, in numero copioſo: quique animarum ſalutem ſupremis deſideramus affectibus, & dignis volumus honoribus frequentari: & vt ipſi Chriſti fideles in eadem ſe recognoſcant Eccleſia Chriſti muneribus refectos, de Omnipotentis Dei miſericordiâ, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, eius authoritate confiſi, omnes, & ſingulas prædictas Indulgentias, & Iubilæum ipſum eodem modo, quo Romana Eccleſia habet, etiam ſe lætetur Compoſtellana Eccleſia pro ſingulari Beati Iacobi deuotione tenere, anno videlicet, quo, vt præferetur, feſtum dicti Apoſtoli Iacobi in Dominica venerit, & per totum annum integrum, vt præmittitur; necnon in diebus illis, ſcilicet S. Iacobi, & tranſlatione corporis ſui, & dedicationis eiuſdem Eccleſiæ plenariam indulgentiam annuatim conſequantur, viſitantes prædictam Eccleſiam, vt præfertur. Authoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia approbamus, roboramus, & communimus, ac perpetuæ firmitatis robur tenere in perpetuum decernimus: & inſuper illas de nouo eiſdem modo & forma, in omnibus, & per omnia, vt ſupra conceſſum fuit, concedimus, & indulgemus, & perpetuis volumus futuris temporibus duraturas: non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis.*

Alexandri conceſſio exprimitur.

20 Ex tenore Iubilæi colligo primò commorantes Compoſtellæ poſſe ſicuti aduenas Iubilæum lucrari. Quia generaliter dicitur: *Omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus fidelibus.* Et quia hoc Iubilæum conceſſum eſt ad Romani ſimilitudinem quod quidem non ſolùm exteri, ſed & incolæ lucrantur. Abſonum enim rationi eſſet, vt incolæ ſpirituali fructu priuarentur, quo exteri fruuntur.

Commorātes Compoſtellæ lucrari Iubilæum poſſunt.

21 *Sufficit incolas ſemel Eccleſiam inuiſere.*

Colligo ſecundò, cùm feſtum D. Iacobi incidit in Dominicam, & Iubilæum toto anno durat, incolas non teneri per dies triginta Eccleſiam inuiſere, ſed ſemel ſolummodo. Quia neque Calixtus, neque Alexander illam trigeſimam, ſeu quindecimam viſitationem poſtularunt: ſed ſolam viſitationem, quæ neceſſariò de vna vice debet intelligi.

22 *Qui non viſitant Eccleſiã Apoſtoli, non lucrantur iubilæum.*

Patet tertiò, peregrinos morte in itinere peruentos, & Religioſos perpetuam clauſuram obſeruantes non poſſe Iubilæum lucrari. Quia non exequuntur opus iniunctum, nempè Baſilicæ D. Iacobi viſitationem. Scio, Iubilæum Romanum præfatis impeditis concedi: At id fuit fauor ſpecialis à Clemente Quarto & ab aliis ſucceſſoribus expreſſus, cuius Alexander III. non meminit.

23 *Non ſuſpendit, ſicut Romanus, gratias, & facultates.*

Elicio quartò, Iubilæum Compoſtellanum non ſuſpendere, ſicut Romanum, gratias, & facultates. Quia hæc ſuſpenſio non fuit annexa Romano Iubilæo tempore, quo Compoſtellanus conceſſus fuit: neque Compoſtellanus Romano eſt ſimilis niſi in indulgentiis, ac facultatibus, non in reſtrictionibus.

24 *Pluries in anno poteſt obtineri.*

Conſtat quintò, hoc Iubilæum eodem anno pluries obtineri poſſe. Quia particula, *In diebus quibus ei placuerit* ſatis indicat. Cùm enim non dixerit Alexander, *In die* ſed *in diebus*, tacitè innuit, pluribus diebus obtineri Indulgentiam poſſe.

25 *Poteſtas abſoluendi à reſeruatis extenditur ad reſeruata Epiſcopis, ac Religioſorum Prælatis.*

Liquet ſextò, poteſtatem abſoluendi à reſeruatis extendi ad reſeruata Epiſcopis, ac Religioſorum Prælatis, niſi noua conceſſione fuerit limitata. Quia Alexander concedit facultatem eligendi Confeſſarium qui abſoluat à caſibus etiam Apoſtolicæ ſedi reſeruatis. Ergo à fortiori à reſeruatis aliis Prælatis poterit quis abſolui.

CAPVT IV.

De duarum hebdomadarum Iubilæo.

26 *Modus conceſſionis huiuſce duarum hebdomadarum Iubilæi.*

ASSOLET Pontifex cùm Eccleſia aliqua graui perſecutione vrgetur concedere iis qui proceſſionibus ab Ordinario indictis aſſiſtunt, vel Eccleſias, aut Eccleſiam ab ipſo deſignatam inuiſerint ibique preces pro fidei exaltatione, extirpatione hæreſum, Principúmque Chriſticolarum pace deuotè profuderint, ſacrámque Euchariſtiam aliqua die ex duabus aſſignatis hebdomadis ſuſceperint, eleemoſynámque pro cuiuſque deuotione erogauerint, necnon ieiunauerint feriâ quartâ, ſextâ, & Sabbatho vnius ex duabus hebdomadis, indulgentiam plenariam, ſicuti in anno ſancto Romani Iubilæi. At ſi aliquis ob infirmam valetudinem, profeſſionem, aliamvè cauſam non potuerit præfata exequi: conceditur Confeſſario facultas, omnia, ac ſingula in opus pium, prout ſibi viſum fuerit, commutandi. Cui quidem Confeſſario ab Ordinario approbato delegatur poteſtas abſoluendi ab omnibus Cenſuris, & pœnis à iure vel ab homine in foro conſcientiæ, & à queiſcúmque criminibus quantumvis grauibus, etiam in Bulla Cœnæ expreſſis. Necnon quælibet vota excepto voto Caſtitatis & Religionis, commutandi.

27 *Quæ neceſſaria ſint ad illius lucrationem. Eccleſia inuiſenda.*

Vt lucrari valeas hoc Iubilæum, neceſſarium tibi proceſſioni intereſſe, vel Eccleſiam, ſeu Eccleſias deſignatas inuiſere, & preces deuotè pro augmento fidei, hæreſum extirpatione, Chriſticolarúmque Principum concordiâ profundere.

28 *Gerenda eleemoſyna.*

Eleemoſyna gerenda eſt, non qualem exigit tuus ſtatus (etſi id præſtantius ſit) ſed qualem tua dictauerit deuotio. Sa *verſ. Indulgentia, numero* 4.

29 *Ieiunio danda opera.*

Feriâ quartâ, ſextâ, ac Sabbatho ieiunio debes operam dare licèt adoleſcens, vel ſis, vel ſenectute gravis. Quia hoc non eſt præceptum, ſed conſilium pro conceſſione Indulgentiæ requiſitum. Laym. *tract.*7.*cap.*8. *dub.*8.

30 *Sufficit ieiunium, aut communio alias debita.*

Sufficit ieiunium aliàs debitum. Quia id obtinuit conſuetudo, cum ſæpè videamus, hoc Iubilæum in Quatuor temporum hebdomada, & in Quadrageſima publicari. Idem dixerim de Communione Paſchali. Henriq. *lib.*7.*cap.*10. *num.* 5. Comitol. *lib.*1. *quæſt. moral. quæſt.* 38. Laym. *lib.*5.*tract.*7.*cap.*8.*dub.*6.*num.*13.

31 *Sacra recipienda ſynaxis.*

Teneris ſacram Synaxim recipere primâ ex tribus quindecim dierum Dominicâ, vel alio die ſequentis hebdomadæ. Non eſt autem neceſſarium, Communionem reliquis iniunctis præmittere, ſed potes præmittere, vel poſtponere pro libito. Mihi placet, conſultius eſſe præmittere, vt ex fructu per Communionem acquiſito reliqua opera digniora exiſtant. Scio tamen, aliis placere magis, Communionem poſtponendam, vt reliqua opera indicta ad ſacram Communionem diſponant, qua ſuſcepta ſecurius Indulgentia obtineatur.

32 *Sufficit, vltimum opus in gratia fieri. Conſultius, præmitti Confeſſionem.*

Sufficit, vltimum iniunctum opus in gratia fieri. Attamen conſultius curabis, vt liber à peccato lethali omnia iniuncta exequaris opera. Vndè ſi mortali te oneratum ſentias, Confeſſionem præmitte, quam non ſolùm poſt Iubilæum indictum, ſed antè illius indictionem vno vel altero die gerere potes iuxta receptam conſuetudinem; neque teneris poſtmodum Confeſſionem repetere, ſi in mortale non incidas. Laym. *tract.*7.*c.*8.*dub.*1.*n.*6.

33 *Poteſt fieri commutatio voti, reſeruãdo deſignationem naturæ ſubrogatæ in aliud tempus.*

Poteris Iubilæi tempore commutare vota in eam materiam, quam ipſe, vel alius vir doctus poſtmodum iudicauerit expedire. Quia eo caſu commutatio intrà tempus Iubilæi eſſentialiter perficitur: cùm materia commutationis ſaltem in genere ſubrogetur; tametſi in particulari, & expreſsè non determinetur. Viuald. *part.*3.*cap.*14. *num.*40. Graff. Saïr. & alij, quos ſequitur Sanch. *lib.*4. *de voto. cap.*54. *num.*31. & 32.

34 *Si tempore Iubilæi vota manifeſtẽtur, & commutatio differatur ex cauſa, poſtmodum fieri poteſt.*

Si manifeſtata ſunt vota Iubilæi tempore, dilatáque eſt commutatio, ob cauſam nempè vt Confeſſarius maturius conſideret, &c. poſtmodum fieri poteſt. Quia ea petitione, & votorum manifeſtatione cauſa eſt inchoata, & iuriſdictio obtenta, quam poterit Confeſſarius commodiori tempore exercere: Suar. *tom.* 2. *de Religione tractatu de voto. lib.* 6. *capite* 16.

35 *Facta voti cõmutatione, votum extinctum eſt, licèt poſteà Iubilæũ non lucreris.*

Facta commutatione, votum extinctum eſt, nec reuiuiſcit. Licèt poſtmodum Iubilæum non lucreris. Quia potuit confeſſarius votum commutare ea conditione, vt commutatio vim obtineat, peractis his operibus, quæ in Iubilæo præ-

ſcri

ſcribuntur, & non aliter: at ex vi priuilegij non cogitur hoc modo commutationē facere, imò nec expedit; vndè ſi abſolutè commutationem geſſit, votum extinctum eſt, nec reuiuiſcit. Sanch. *lib.8.de Matr.diſp.15.n.22.* Suar.*tom.2.de Relig. tract.de voto,l.6.c.16.n.9.* Henriq. *l.7.de Indulg. c.11.n.4.*

35 *Tranſacto Iubilei tempore, nequeunt vota commutari, qui Iubilæum non eſt conſecutus.*

At ei, qui Iubilæum non fuit conſecutus, tranſacto Iubilei tempore, nequeunt vota commutari, aut abſolutio à reſeruatis concedi. Quia non lucranti Iubilæum priuilegium commutationis, & abſolutionis non conceditur. Suar. *illo c.16.n.15.* Sanch.*lib.8.de Matr.d.15.n.23.& c.54.n.51.*

36 *Non eſt aliqua domicilio lucratio Iubilæi.*

In quolibet loco, vbi Iubilæum fuerit publicatum, licèt locus domicilij non ſit, poterit quis Templum inuiſere, reliquáque opera iniuncta exequi, & Iubilæum lucrabitur. Quia Pontifex loco domicilij conceſſionem non adſtringit. Imò ſi in loco domicilij publicatum Iubilæum fuerit, inibíque, vel proceſſioni interfueris, vel deſignatum Templum inuiſeris: licèt reliqua opera alibi præſtes, Iubilæum aſſequere. Quia in formâ conceſſionis non cauetur, omnia opera præſtanda eſſe in loco, vbi Iubilæum fuerit publicatum. Bonac. *d.6.q.1.p.4.* Laym. *l.5.tr.7. d.8.dub.5.*

37 *Ex generali indulto ad omnia vota cõmutanda non poſſunt commutari votũ Caſtitatis, & Religionis.*

Ille, cui conceditur generalis facultas ad omnia vota commutanda, non poteſt vi huius indulti commutare vota Caſtitatis, & Religionis. Quia ob ſpecialem, & antiquiſſimam reſeruationem, ac materiæ grauitatem non includuntur præfata vota in generali conceſſione. Suar.*lib.6. de voto.c.25.* Sanch.*lib.4.ſum.c.15.n.15.*

38 *Ex indulto ad commutandũ omnia reſeruata, commutari poſſunt.*

At ille, cui Pontifex concederet facultatem commutandi, vel diſpenſandi vota reſeruata poteſt etiam commutare, vel diſpenſare quinque illa vota Caſtitatis, Religionis, Peregrinationis Romanæ, Ieroſolymitanæ, ac Compoſtellanæ. Quia ea ſatis exprimuntur, explicata reſeruatione: cùm ratione illius tantùm ſpeciali expreſſione indigeant. Suar. *lib.6.c.25.n.5.* Sanch. *lib.4. ſum.c.40.n.16.*

39 *Poteſt commutari votũ vouendi Caſtitatem, vel Religionem.*

Confeſſarius virtute Iubilæi poteſt commutare votum vouendi Caſtitatem, & Religionem. Quia tale votum non eſt reſeruatum, cùm non ſit votum Caſtitatis ſeu Religionis, ſed illud promittendi: Diana *1.p.tr.11.reſol.76.* Trul.*in Bulla lib.1.§.7.c.3.dub.15.n.24.* Suar.*lib.6. de voto, c.21.n.7.*

40 *Commutari poteſt votum non fornicandi, &c.*

Necnon commutari poteſt votum non fornicandi, non committendi pecatum mollitiei, &c. Quia non eſt perfectæ Caſtitatis votum. Leſſ.*lib.2.c.40.n.105.*Candid.*diſq.25.a.8.dub.9.* Boſſi. *de Iubil.ſect.2.caſu 20.n.2.*

41 *Et votũ Caſtitatis, vel Religionis pro tempore limitato emiſſum.*

Poteſt commutari votum Caſtitatis, aut Religionis emiſſum pro tempore limitato. Quia votum, quod in Iubilæis excipitur eſt votum Caſtitatis & Religionis ſimpliciter, de cuius eſſentia eſt, quod ſit perpetuum. Sanch.*lib.8.de Matrim. d.9.n.6.* Suar. *lib.6.de voto,c.22.n.9.*Laym.*lib.4. tract.4.c.8.n.8.*

42 *Et votũ Caſtitatis coniugalis.*

Commutabile eſt virtute Iubilæi votum Caſtitatis coniugalis. Quia hoc votum non eſt totius Caſtitatis, ſed partis, cùm ſic vouens valeat Matrimonium inire. Sanch.*lib.8. de Matr.d.9. n.4.* Henriq. *lib.7.c.30. n.6.*Boſſi. *ſect.2.caſu 20. num.1.*

43 *Et votũ non petendi debitum, etiam ex coniugis conſenſu.*

Item commutari poteſt votum, quo alter coniux cum alterius licentia promiſit, ſe debitum non petiturum. Quia non eſt votum perfectæ caſtitatis. Sanch. *de Matrim. d.9.num.8.* Boſſi. *ſect.2.caſu 20.n.1.*

44 *Non autẽ votum ſeruandæ Caſtitatis cẽtum annis.*

Non eſt commutabile votum ſeruandæ caſtitatis centum annis. Quia tale votum cenſetur perpetuum, cùm vita hominum amplius duratura non præſumatur. Sanch. *ſum.l.4.c.40.n.49.*

45 *Nec votũ Virginitatis ſeruãdæ, niſi intenderit vouens ſolùm primum actũ includere.*

Nec votum virginitatis ſeruandæ niſi expreſsè intenderit vouens non obligare ſe ad Caſtitatem, ſed ad ſolam corporis integritatem ſeruandam abſtinendo à primo luxuriei actu, per quem virginitas deperditur. Quia quando hæc expreſſa intentio non reperitur, eſt votum abſolutum Caſtitatis vi Iubilæi incommutabile: Fagund. *lib.2.Decal.c.43.n.1.* Boſſi. *de Iubil.ſect.2.caſu 20. n.5.& 6.* citans Rodrig. Leonem, & alios.

46 *Eſt commutabile votũ ſumendi habitum Beatarum.*

Commutari poteſt votum aſſumendi habitus fœminarum, quas Beatas vocitant. Quia hic ſtatus non eſt Religionis, Vnde etiam Epiſcopus poteſt in eo diſpenſare: Sanch. *lib.8.de Matrim. d.9.n.15.* Rodrig. *tom.2.ſum.c.96.n.5.* Henriq. *lib.7.c.30.n.6.*

47 *Non autẽ votum ineundi Religionem ad probandũ, an tibi placeat.*

Non poteſt commutari votum ineundi Religionem ad probandum, num tibi placeat. Quia id verè, ac propriè eſt Religionis votum, cùm votum ingrediendi Religionem ex diſpoſitione Iuris humani hanc tacitam conditionem includat, ſi bona fide Religionem vouens ingrediens illam, intra annum probationis deprehenderit, eam ſibi congruere: Candid.*diſq.25.art.14.dub.15.*

48 *Commutari poteſt votum Paupertatis, vel Obedientiæ in Religione non approbata.*

Commutari poſſunt vota Paupertatis, & Obedientiæ in ſæculo, vel in Religione non approbata, emiſſa. Quia non ſunt vota Religionis, nec ſtatui Religioſo annexa, cùm facta ſint extra ſtatum Religioſum verum, & approbatum, & ideò poteſt etiam Epiſcopus in eis diſpenſare: Leſſi. *de iuſt.c.40.n.123.* Henriq.*lib.7.c.30.n.6. lit. F.* Sanch. *l.4.ſum.c.40.n.72.*

49 *Commutabilia ſunt vota, quorum Iubilæi tempore non meminerit pœnitens.*

Poteſt Confeſſarius tempore Iubilæi commutare omnia vota, quorum numerum pœnitens non meminit. Vnde ſi poſtmodum pœnitens recordetur alicuius voti particularis, alia commutatione minimè indigebit. Quia abſolutè indultum dat copiam ad huiuſmodi votorum commutationem: Sanctarel. & alij, quos citat, ac ſequitur Boſſi. *de Iubil.ſect.2.caſu 43.*

50 *Vota reſeruata conceſſa poſſunt commutari toties, quoties, durante Iubileo, emittuntur.*

Vota reſeruata, quorum commutatio per Iubilæum conceditur, poſſunt commutari, durante ipſo, toties, quoties fuerint emiſſa. Quia Iubilæum non limitat hanc commutandi facultatem: Trul. *in Bull.lib.1.§.7.c.3.dub.9.n.7.* Boſſi. *ſect.1.caſu 15.n.2.* Filliuc. *tract.8.n.238.*

51 *Et votũ perſeuerandi in Religione.*

Poteſt commutari votum perſeuerandi in Religione. Quia votum perſeuerandi eſt virtute diuerſum à voto Religionis. Diana *1.p.tract.11. reſol.79.* Trul. *lib.1.in Bul.§.7.c.3.dub.16.n.9.* Fagund. *lib.2.c.43.n.9.*

52 *Ad commutanda vota, ſufficit pro cauſa, opera præſcript. implere.*

Ad commutanda vota vi Iubilæi cauſa requiritur: ſed cauſam dixerim opera præſcripta implere: Diana *1.p.tract.11.reſol.39.* Henriq.*lib.7. c.30.n.5.* Trul.*lib.2.Decal.c.2.dub.75.n.8.& 12.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN